CONSTANTINUS L'EMPEREUR IOHANNI COCCEJO.

S. C. S. P. ab authore salutis.

Vir clarissime et amicissime,

Diu est ex quo nullas ad te dedi literas: cum tamen 2 Mart. a. praecedentis ad praecedentes meas responsum accepissem. In quo opus postea orbi literario communicandi spem faciebas: methodicam Ecclesiastae explicationem designo. Quam postea mihi tradendam curasti per D. Stresonem. Nondum egi gratias: quia vicissim munusculo quodam gratiam rependere moliebar. Harmonica tua explanatio quantopere mihi probaretur, aliquoties hic coram viris doctissimis testatus sum. Ego ita sentio, non esse aliud magis et certius eruditionis et judicii documentum, quam cohaerentiae, in tam difficilibus et intricatis scriptis (ubi methodus vel nulla vel obscurissima videtur) demonstratio. Verò talentum tibi a Deo concessum, commodius ἄλλα τάλαντα κερδῆσαι (ut cum Servatore loquar) potest in ista professione Sacra, quam in altera philologica. Igitur istam novam [tibi] gratulor. Nam est jam, quod Frisii communem nostrum amicum sibi ereptum legatis, restitutum desiderant. Hoc fatale isti provinciae esse videtur, ut philologiae periti in ista professione doctiores semper succedant.

Caeterum gavisus sum judicio tuo et D. Buxtorfii de novata opera in clave talmudica. Ea demum librum primum legum reipublicae Israeliticae. Num ita placitura sit nescio. Judicium sincerum expectabo. Reliqui duo libri, ubi Deo dante, subsequentur. Ego adhuc in poësi D. Gomari occupor: nam exempla Graeca et Hebraea mihi relicta dedit, utque typographicis operis praeessem petiit. Aliaque sunt quae me distrahunt: de quibus forte aliquando coram. D. Heinsii exercitationes in Novum Testamentum ex sententia procedunt. Nam ad acta Apostolorum jam pervenit. Nulla habet singularia: ubi tantum ingenium decet. Suspicient omnes et mirabuntur. Similiter illam sagacitatem D. Gomari in inveniendâ poësi antiquissimâ Hebraeorum exosculabitur. Quod omnes Hebraei et Graeci Latinique inde a captivitate ferè Babylonica ignorarunt, id solus ille e tenebris eruit, adeoque luculenter ostendit, ut nemo nisi invidus planè refragari queat. Vale vir doctissime, et inita inter longe dissitos amicitia, inter praesentes protrahatur; nec nisi morte solvatur, imò ne tum quidem deficiat.

D. tuae observantissimus
C. L'Empereur.

Datum Lug. Bat. 10. Aug. a. 1637.
Pater salutis.

Viro celeberrimo D. Johāni
Coccejo, Veteris Testamen-
ti fidelissimo Interpreti
in Academia Frisiorum.

cū fasciculo

Franeker.